



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 15. Debent-ne tradi personis devotis plures hostiæ, ut inde majorem fructum percipiant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. X. 189

Resp. Ita asserendum videtur ex Doctrina Concilii Tridentini: *Fatendum esse, inquit Concilium, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nullam gratiam necessariam ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Et Divus Hilarius relatus in Canone, ait: *Vbi pars est Corporis, est & totum: eadem ratio est in Corpore Domini qua in manna, quod in ejus figura precessit, de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc aestimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.*

Denique sanctus Thomas ait: *Potest autem à populo Corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum: Quare asserere debemus, Sacramentum sub una specie datum tantam conferre gratiam, ac si traditum esset sub duabus.*

Quaest. 15. Debent-ne sine ulla necessitate plures hostiae particulae tradi personis & devotis, ut inde majorem percipiant fructum?

Resp. Certum est, ex his quae diximus ex sancto Hilario, absque necessitate tradendas non esse, ut scilicet uberius fructus percipiantur; cum non sit omnino quantitas visibilis in hoc aestimanda Sacramento, sed virtus Sacramenti spiritualis.

Quare Innocentius XI. abolere volens hunc abusum à speciosa pietate inductum, approbavit Decretum Congregationis Concilii Tridentini circa Communionem quotidianam 12. Februarii 1679. quod sic habet: *Episcopi, Pastores, seu Confessarii insuper admoneant,*

Conc. Trid. sess. 21. cap.

3^o

Can. Vbi pars est. De Conc. dist. 2^o

D. Tho. 3^o p^o q. 80. art. 1^o ad 3^o

nulli tradendas plures Eucharistia formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Habetur hoc Decretum integrum in fine Tomi 4.

Quaest. 16. Communio sub unica specie, fuit-ne in usu prioribus Ecclesiae saeculis?

Resp. Cùm Fideles semper crediderint id quod fides docet, scilicet totum Corpus & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi contineri sub unaquaque specie: nulla unquam lege prohibitum fuit sumere Eucharistiam sub unica specie. Sed potiùs videmus, Laicos aliquando hoc Sacramentum sumpsisse sub utraque specie, aliquando sub sola specie Panis, & quandoque etiam sub sola specie vini. Constat, quod prioribus Ecclesiae saeculis tam Sacerdotes quàm Laici sumebant Eucharistiam sub utraque specie dum sacris Mysteriis aderant, ut videri potest in Decreto Constantiensis Concilii supra nu. 10. relato. In duodecimo tantùm saeculo Episcopi prohibuerunt Laicis Calicis usum, cum enim numerus Fidelium plurimum augetur, periculum erat, ne irreverentiae daretur locus, & alicujus partis sanguinis Christi effusio accidere posset: Illud plurimum Episcoporum Decretum Constitutione Concilii Generalis Constantiensis confirmatum fuit anno 1415.

Constat etiam, Fideles prioribus Ecclesiae saeculis sub sola Panis specie saepiùs communicasse; ferebant enim aliquando Eucharistiam in proprias domos, ut eam percipere possent, dum instante gravi aliqua persecutione, in mortis periculo se constitutos putabant, ut videre est in libro quem Tertullianus ad uxorem direxit, ut ei statum vidualem suaderet, casu quo ipse prior moretur: eam etiam efficaciter hortatur, ut si ad secundas nuptias convolet,

*Tertullian.
lib. 2. ad
Uxorem. cap.
5.*